

tis, quam occasione Festorum, et etiam integro unius horae spatio nocturnae, adest consuetudo Campanas pulsandi, quod non videtur S. Ritibus congruum.

Et S. eadem C.... respondendum consult: „Ipse Episcopus provideat jure ordinario.“

Atque ita rescripsit. Die 10. Januarii 1852 n. 5166 ad 4.

14) An puls. pro Laicis?

Non licere pulsare campanas Ecclesiarum neque Piorum Locorum in adventu Domini loci, sine licentia Ordinarii. n. 1065 die 10. Julii 1638.

In adventu Baronum locorum nullo modo licet pulsare campanas. n. 1126 die 19. Febr. 1639; n. 1407 die 16. Aug. 1642.

Est abusus non tolerandus, quod campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur, sed pulsari debet pro quibuscunque petierint. S. C. E. 19. Junii 1583.

Vd. *Campanae* (puls. pro effect. profanis.)

15) Puls. pro Off. def. cantando.

Servanda est pia consuetudo pulsandi campanam aliquot ictibus tam de sero, quam de mane, quando dicend. est off. def. S. C. Ep. 21. Aug. 1607.

16) Puls. in Processione.

Tenantur Clerici regulares in transitu processionis Lytaniar. majorum campanas pulsare. n. 144 ad 2 die 7. Apr. 1598.

17) Puls. in Process. SSmi.

Ad dubium Collegii Parochorum Urbis: an in festis solemnioribus anni aut occasione particularis Jubilaei aut Indulgentiae, quibus temporibus a parochis maximo apparatu et pompa deferret SSmm. Infirmis, omnes Ecclesiae Saecularium, Regul. et Monia-

lium, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, teneantur ac debeant solemniter pulsare campanas, dum SSmm. tam in eundo quam in redeundo transit non solum ante portas majores et laterales earundem Ecclesiarum, verum etiam quando transit ante januam domus, conventus, monasterii, aedis parochialis et capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa? S. C. resp.: *Affirmative*. n. 4428 die 10. Mart. 1787.

Vd. *Processio SSmi. Regul.* (modus, decr. n. 4130); *Instructio Clem.* §. XX n. 15.

18) Puls. in Sepultura.

In casu, quo defunctus tumulatur in Ecclesia Regularium, non posse parochum defuncti impediri ab ipsis Regularibus, quin pulset Campanas parochiales, neque ipsos Regulares Ecclesiae, in qua defunctus sepelitur, impediri a Parocho, quin pulsent campanas eorum Ecclesiae. n. 1364 die 8. Febr. 1642.

Licet PP. Minoribus Conventualibus Caselli in funeribus libere campanas pulsare absque licentia Plebani. n. 4210 ad 4 die 19. Sept. 1750.

Quoad mercedem campanae, quae pulsatur occasione funerum, servanda est consuetudo. S. C. Ep. 5. Maii 1617; 28. Maii 1638.

Episcopus prohibere non potest, ne campanae pro funeribus pulsentur sine licentia ipsius Episcopi. S. C. Ep. 26. Febr. 1601.

19) Puls. in signum jejunii.

Prohibetur fratribus s. Augustini campanas pulsare media nocte ante diem Cinerum in signum coepti jejunii, cum hoc specialiter spectet ad campanam Cathedralis. n. 1677 die 5. Julii 1653.

20) Quae non pulsantur?

Campanae consecratae etiam in turri profana existentes nullatenus usui profano inservire debent, nisi de licentia Episcopi. S. C. E. 31. Jan. 1559.

Vd. *Camp.* (puls. pro eff. prof.)

Regulares possunt cogi ab Episcopo ad deponendum de Campanili campanas, si ibi non benedictas appendunt. S. C. E. 17. Jan. 1614. Campanae ne pulsantur, si non sint benedictae, potest Episcopus prohibere. S. R. C. 5. Julii 1614.

21) Quod?

Ad dubium: an Confraternitas SSmi. Rosarii Burgi possit retinere tres vel quot campanas in campanili suae Ecclesiae seu Oratorii? S. C. resp. *Affirmative*. n. 3910 ad 1 die 9. Julii 1718.

CAMPANULA.

1) In missa priv. et sol. (et in distrib. s. Commun.)

Vd. *Instructio Clem.* §. XVI. n. 1 etc.

Campanula ad egressum Sacerd. *ibid.* n. 4.

Genuflexio ante SS. Sacrament. (In processione etc. decr. n. 2943.)

Ad dubium: 1. In Ecclesiis Peruvianis est communis consuetudo pulsandi Campanulam a Ministro in Missa non solum ad verba *Sanctus* etc. et in elevatione Sanctissimi, sed etiam ad verba *Domine non sum dignus* ante sumptionem, et quoties administratur Communio Fidelibus ad praedicta verba: Utrum toleranda sit ista consuetudo, et sequenda in Ecclesiis?

2. Utrum pulsanda sit Campanula quando in Choro elevato et sito in extrema parte Ecclesiae, ubi non videtur Celebrans, recitatur Officium?

Emi. et Rmi P.... rescribendum censuerunt:

Ad 1. Tolerari posse.
Ad 2. *Affirmative*. n. 5224 ad 9 et 10 die 14. Maii 1856.

2) Ministror. in process. SSmi.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXII n. 6.

CANDELA.

1) Baptismalis.

Candela a rituali praescripta et aliae candelae, quae occasione collationis Baptismatis sponte offeruntur, debentur Ecclesiae (Cathedrali). n. 4270 ad 7 die 16. Julii 1757.

2) In Confirmatione.

Licuisse et licere Episcopo Portugalsi observari facere caeremoniam candelae accensae in confirmatione conferenda, utpote ab Ecclesia receptam, fidei protestativam et meritoriam. n. 4172 die 15. Maii 1745.

3) In Dedicat. Eccles. ad pariet.

Candela ante cruces accendendae sunt in die, ad quam transf. celebratio Officii Dedicat. S. R. C. 28. Febr. 1682. Cf. *Dedicat. Eccles.* (cruces).

4) Dignitatum.

(Quae?)

Vd. *Processio Corp. Chr.* (candela cleri); *Cereus*.

Praeposito in processionibus debetur candela majoris ponderis quam caeteris de Capitulo. n. 4040 ad 5 die 21. Apr. 1736. Candelae, quae in festo Purificat. B. V. M. distribuuntur Dignitatibus, debent esse ejusdem ponderis ac structurae? n. 4064 ad 6 die 31. Aug. 1737.

In festo Purificationis B. V. M. Archidiacono (Metrop. Hydrunt.) debetur juxta solitum candela majoris ponderis. n. 4358 ad 25 die 7. Dec. 1771.

5) Episcopi.

Vd. *Bugia Episcopi*.

6) In expositione SSmi.

Vd. *Expositio SSmi.* (num. luminum); *Lumina.*

7) In functionib. solemnib.

Cappellanis in diebus festivis solemnibus vel non solemnibus licet celebrare cum tot candelis accensis, sicut celebrat parochus. n. 2630 ad 2 die 6. Mai 1673.

Numerus candelarum apponendus, in altari et resp. accendendus, dum divina Officia et missae sol. celebrantur in festivit. 1 et 2 cl. et in dominicis et aliis festis est juxta votum Episcopi. n. 4383 ad 2 die 12. Julii 1777.

8) In funeribus.

Vd. *Sepultura* (associatio; modus) *Cera*; *Quarta funeral.*

9) Materia.

Resolutionis Dubiorum super usu novarum Candelarum ex *Stearina* confectarum. Instantibus nonnullis Ep., permultisque Cereorum Fabricatoribus, cum Rmo. Ep. Massilien., ac referente Emo., et Rmo. D. Card. Cosimo de Corsi Ponente, rescriptum fuit: „Consultantur Rubricae.“ Die 16. Sept. 1843. n. 4975.

SACRARUM MISSIONUM IN OCEANIA.

Etsi S. C. de Propaganda Fide non intermisit institerit, ut in remotissimis etiam Missionibus pro Sacrosancto Missae Sacrificio adhibeantur Candelae ex industria apum labore confectae, et interdum ex Apost. venia indulserit, ut Missionarii possint uti Oleo in Missae celebratione loco Cerae, et deficiente etiam oleo celebrarent absque luminibus; attamen praeterire nequivit fervidas preces Operariorum Evangelicorum in dissitis, et adhuc nascentibus S. Missionibus in Oceania, quorum nomine exponebatur sibi pene impossibile esse pro Sacrosancto Missae

Sacrificio vel Ceram vel Oleum comparare, ut jam impetratum Indultum pro Oleo loco Cerae adhibendo executioni demandare valeant. Et quum Operariis ipsis non parum displiceat absque luminaribus Sacrosanctum celebrare Sacrificium, ac iisdem difficile minus appareat ex piscatione, quae ibi instituitur a Societatibus Balneariis consequi Candelarum illarum qualitatem, quae pluribus in regionibus sunt in usu, quaeque efformantur ex oleo, seu adipe Caeti, praevia necessaria purificatione, et communiter *Sperma-coeli* appellantur; harum usum in S. Actione sibi permitti instanter efflagitant, eo vel magis quia ex eorumdem depositione hujusmodi Candelae obnitorem, puritatem, et lucem lingua illa nominantur *Bougies à l'etoile*. Et quoniam eidem S. C. de Propaganda Fide, antequam quidquam in re decerneret, placuit hujus S. R. C. votum, et sententiam exquirere, Emi., et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita a subscripto Secretario fideli relatione, cribratisque maturo examine circumstantiis singulis in facti expositione concurrentibus, rescribere censuerunt: Affirmative, seu permitti posse, dummodo preces veritate nitantur.“ n. 5150 die 7. Sept. 1850.

10) In missa Episcopi, Dignitarii, Abbatis.

Vd. *Missae Episcopi, Dignitarii, Abbatis.*

11) In missa parochiali.

TIBURTINA.

Etsi non una vice tantum ab hac S. R. C. sancitum fuit Parochialem Missam pro populo celebrandam esse absque ulla exteriori pompa, ac proinde Archipresbyteris, et Parochis jus nullum competere exigendi, ut Candelae in Altari accensae sint numero plures quam duae; repetitae hujusmodi sanc-

tionem parere recusant duo Canonici Vicarii perpetui Cath. Tiburtinae a S. Laurentio Mart. nuncupatae, qui in praesentiarum actu in Cath. illa Basilica in cura animarum Capitulum repraesentant, quique mordicus exigunt ut quatuor accendantur candelae, dum ipsi memoratam Missam Parochialem pro populo celebrant. Quorum consilium, et factum P. R. C. humiliter datis precibus exponentes reliqui Canonici enixe rogarunt, ut declarare dignaretur, num tolerari possit quod, contra Decretorum praescriptum, in suo proposito Vicarii perpetui perseverent, ac proinde quatuor accensas Candelas in casu adhibere valeant.

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitibus audita ab infrascripto Secretario fideli relatione, ac omnibus in facto concurrentibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt: „Non licere juxta Decreta, abusumque omnino eliminandum.“ Atque ita rescripsit, servarique praecipit. n. 5149 die 7. Sept. 1850.

12) In missis de Requ.

Ad dubium: Utrum in Exequiis e. g. pauperum Cerei accensi in Altari pauciores esse possint numero quam sex, et in Missis quotidianis cantatis pro Defunctis quam quatuor? rescriptum prodit:

„In Missis de Requie cum cantu saltem quatuor.“

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 7 die 12. Aug. 1854.

13) Modus deferendi.

Vd. *Instructio Clem. §. XX n. 12; Processio SS. Corp. Chr.*

14) In Ordinatione.

Vd. *Ordinatio* (oblatio.)

14) Ordo accipiendi in festo Purificat. B. V. M.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

16) In portand. SS. Viatico ad Infirmos.

Caeremonialis liber nec Laicis nec Clericis prohibet, quominus in process. SSmi. (ad infirmos) deferant intortitia vel candelas accensas. S. R. C. 12. Apr. 1603.

CANDELABRUM.

1) Ad Evangelium.

Vd. *Pileolum Ministr.* (decr. n. 2625.)

2) Ad Legile.

Vd. *Bugia Canon. in choro.* (decr. n. 3597); *Bugia Canon. in missa* (decr. n. 4536 Nota; ad finem.)

3) Modus Ponendi.

Juxta Caeremoniale Episcoporum l. 1 c. 12 n. 11. Candelabra in Altari ponenda non sunt omnino inter se aequalia. In tota Dioecesi Briocensi sunt omnino inter se aequalia. Quaeritur utrum hoc praescriptum Caeremonialis Episcoporum ea de re sit rigorose tenendum? Et si affirmative, petitur, ut iis Candelabris inter se aequalibus in omnibus Ecclesiis, seu Cappellis uti liceat, donec admodum renovanda sint?

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Adductam causam a praescriptione Caeremonialis observanda excusare.“ Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 9 die 21. Julii 1855.

4) Septimum.

a) Cui non debetur?

Cf. *Dignitas; Missa sol.; Usus Pontifical.*

Rectores et Beneficiati Ecclesiarum parochial. non possunt collocare sept. candelabrum in altari majori in festi-

vitatibus solemnioribus. n. 3046 ad 6 die 11. Mart. 1684.

Super altari locentur sex tantum et non septem candelabra cum totidem candelis celebrante Priore usum Pontificalium habente. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Vicarius et Beneficiati Ecclesiae paroch. Caesaraugustanae non possunt collocare sept. candelabrum in altari maj. in festivitibus solemnibus. n. 3077 die 10. Febr. 1685 et 20. Aug. 1687; n. 3178 die 22. Jan. 1689.

Cum *Episcopus Administrator* missam cantat in Pontificalibus, non debet poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa. n. 3952 ad 6 die 22. Aug. 1722.

Celebrante Suffraganeo super altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur celebrante proprio Archi-Episcopo. n. 354 die 1. Sept. 1607.

b) In missa sol. Episcopi.

Vd. *Ordinatio* (lum.)

Episcopo pontificaliter celebrante debet super altare poni 7. candelabrum eorum sumptibus, qui ad caeteras missae pontif. expensas tenentur. n. 4317 ad 7 die 6. Aug. 1763.

c) In Missa de Requ. Episcopi.

In Missis defunctorum ab Episcopo celebratis nunquam adhibetur septimum candelabrum. n. 351 ad 8 die 19. Maii 1607.

d) In vesp. Episcopi.

In missa tantum et non in vesperis Episcopo celebrante, solet adhiberi septimum candelabrum. n. 351 ad 8 die 19. Maii 1607.

CANES.

(ab Ecclesia prohibendi.)

Vd. *Instructio Clem. §. VIII n. 3.*

CANON.

1) Dignitarii.

In missa solemniter cantata in elevatione non potest uti canone prima Dignitas Cathedr. Spolet. n. 2967 ad 2 die 20. Sept. 1681.

Vd. *Bugia Dignitat.*; decr. n. 4824. *Usus Pontificalium.*

2) Nomen Abbatis et Episcopi.

Vd. *Missale*; *Oratio pro Episcopo.*

Eos Religiosos, qui Antistitis nomine tacito, ejus loco in precibus sive in Canone suae Religionis superiorem nominant, contra charitatem facere. n. 283 die 12. Novb. 1605.

Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos ut Antistites. S. R. C. 15. Novb. 1615.

In Canone et in Collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis. n. 1611 ad 6 die 25. Sept. 1649.

In canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium. n. 2363 ad 11 die 13. Febr. 1666.

In loco defuncti Pontificis vel Episcopi nemo alius in Canone nominari debet. n. 2451 ad 12 die 15. Sept. 1668.

Postulabat Abbas saecul. Collegiatae de Lerma nullius Provinciae: Ut liceret Clero saeculari quam regulari in Ecclesiis ei subjectis eum nominare in canone. S. C. resp. *Negative*. n. 4494 die 1. Sept. 1804.

Nomen *Episcopi Administratoris* amovibilis Ecclesiae vacantis non debet in Canone memorari per sacerdotes celebrantes. n. 3952 ad 5 die 22. Aug. 1722.

Celsitudinis Regalis Eminentiae Ludovici D. Cardinalis Infantis Hispaniarum Toletanae, Hispalensis Ecclesiarum *administratoris* et Possessoris, licet sacris destituti Ordinibus, nomen

in canone missae, Collecta et Praeconio est exprimendum. n. 4135 die 19. Jan. 1743.

3) Nomina SSrum.

Vd. *Inclinatio capit. infra missam*; S. Joannes B. (ejus nominatio etc.)

Additionem nominis s. Josephi Sponsi B. V. M. in canone fieri non debere. n. 4520 die 16. (17.) Sept. 1815.

4) Plures missae, uno tamen sacerd. dicente Canon.

Fratres Ordinis SS. Trinitatis Insularum Majoricae in septem altaribus, in capella rotunda erectis sub titulo 7 Mysteriorum dolorum B. V. M. et privilegio apostolico pro defunctis decoratis septem Missas semel celebrant, *uno Sacerdote totum s. Canonem alta voce proferente*, ita ut alii Celebrantes simul consecrent, simul elevent hostiam et simul terminent Missam. S. C. resp.: *Aboleri dictum abusum*. n. 1451 ad 1 die 13. Junii 1643.

CANONICATUS.

(Cui conferendus?).

Canonicatum et Praebendam conferendam esse in perpetuum et in titulum Clerico saeculari, qui cum caeteris Canonicis munus Praebendae theologiae adimpleat juxta formam Concilii Tridentini, quia nullo modo convenit, ut Frater regularis cantet Officium in choro cum Canonicis et presbyteris saecularibus. n. 220 die 15. Novembris 1603.

CANONICI.

1) Ecclesiae Cathedralis.

a) Accessus ad chorum.

Non licet Dignitatibus se induere cotta et Almutia in stallis chori sed debent se induere in Sacristia et processionaliter cum Canonicis accedere

ad chorum. n. 3121 ad 6 die 20. Julii 1686.

Canonici in accedendo et recedendo a choro progredi et recedere valeant per partem proximiorum stallo. num. 4358 ad 32 die 7. Dec. 1771.

b) Administratio Sacrament.

Vd. *Cappa Canon. Cath.* (decr. n. 4946 et 4536); *Canonicus* (Insignia et habitus); *Stola in administr. Sacram.*; *Rocchetum Canon.*; *Mozzetta Canonicor.*; *Usus Pontifical.* (decr. u. 4696 ad 3).

Canonici, usum cappae et Rocchetti habentes, debent Sacramenta administrare cum superpelliceo et stola juxta Rituale romanum. n. 753 ad 1 die 12. Julii 1628; n. 4365 die 19. Junii 1773.

Canonici Collegiatae s. Laurentii Florent., qui habent usum Rocchetti, in administratione SS. Sacramenti utantur rocchetto et stola. n. 2635 die 17. Junii 1673.

Ad dubium: an Dignitatibus et Canonicis (Ecclesiarum Colleg.) habentibus usum Mozzetae, dum Sacramenta administrant, sit permittendus usus stolae super mozzetta? S. C. resp.: Pro observatione decretorum et Caerem. respective. n. 3484 die 2. Aug. 1698.

Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tam intra, quam extra Cathedr. tenentur deponere cappam atque uti superpelliceo et stola juxta rituale rom. n. 4536 dub. addit. 1 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Clara et generalis est rubrica Ritualis Romani tit. 1. num. 7, videlicet: *In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et de super stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit.* Idipsum habetur, ut de aliis Synodis sileam, in Conc. Prov. I. Mediolanensi, ubi S. Carolus Borromaeus expresse jubet,